

tres fortes castra Philistinorum, & hanferunt aquam de cisterna Bethleem, que erat iuxta portam: & attulerunt ad David, 2. Regum 23. num. 16. Valde mirum, quod tres homines pertranseant per conglomerata hostilia agmina, & nullus eis se opponat, viamque intercludere conetur. Iosephus apud Abulensem: Reuersi sunt per media inimicorum castra, obstupescens Philistinis, eorum fiduciam, ac animositatem. Quae enim audenter, ac animose fiunt, alios in admirationem rapiunt, vt nullus eis obfistere, ac repugnare audeat, sed cuncti cedunt, & acquiescunt.

Quod generose sit, nullus ei contradicere audeat.

Ioseph.

QUESTIO XIII.

Quare cum vnus surdus, & mutus ab Euangelista scribatur sanatus, tamen pluraliter clamant: surdos fecit audire, & mutos loqui.

99. Carthuf. Matth. 13.

RESPONDET primò Carthusianus, quòd quamuis D. Marcus non exprimat, hic nisi curationem vnius, tamen quando Christus istum curauit sanauit & alios multos surdos, & mutos, ac cecos, & debiles, vt habetur Matth. 15. n. 30. sed D. Marcus scribit de vno, cuius curatio solemnitas facta est, & multa mysteria figurauit, eratq; mirabilior, quia in vno homine tria signa simul facta videntur, dum obsessus liberatur, surdus auditum, & mutus loquelam recuperat. Ac proinde, cum multi surdi, & muti hic fuissent sanitati restituti, ideo populus proclamabat, vt dixi in expositione, surdos fecit audire, & mutos loqui.

Ratio litteralis.

100. Anselm.

Secundò D. Anselmus. Vnum opus vident, vnum hominem mutum, & surdum sanatum; & tamen turbæ proclamant: Bene omnia fecit. Ex hoc enim opere præclare gesto, quod vident, bona, & religiosa suspitione quadam, omnia reliqua antea facta, proba & iusta præsumunt, & astruunt. Ex præsentibus bene peractis, quæ conspiciunt, omnia retroacta, perlucidè, ac pulchrè, pia coniectura, inde deducunt, & censent. Discant, discant ex hoc homines documentum magnum, ne vagè, ac sinistrè de aliis iudicent, vt cum probum opus in proximo intueantur, inde, quadam pia illatione, præterita illius facta ritè, ac doctè per soluta autument, atque rimentur.

Ex vno bono opere reliqua antea facta bona iudicentur.

101. Barradas.

Tertiò Barradas ait: Sumi numerum singularem pro plurali. Animus gratus semper adauget, & amplificat beneficium; & cum vnus esset sanatus, proclamationes, ac gratiarum actiones, tanquam si plures essent sanitati restituti, persoluuntur; vnum enim beneficium tanquam multa æstimant, ac appendunt.

Gratus semper accepta beneficia gratificat.

103. Ierem. 32.

Recensens Ieremias beneficia populo suo exhibita, ait cap. 32. num. 20. Qui posuisti signa, & portenta in terra Aegypti usque in diem hanc. Quomodo dicit usque in diem hanc, cum iam per tot æturtias annorum illa essent perpetrata? Fortè

quia portenta illa, apud Aegyptios facta, modo perseverant? Nonne omnia illa transferunt: transferunt quidem, vt conuersio aquarum in sanguinem, tenebræ factæ, muscæ, ranæ, grandines, & mortes. Quomodo usque in hodiernum diem? Transferunt quidem, sed eorum memoria ita erat alta Prophetæ mente defixa, vt pro illis gratum se exhiberet, ac si in præsentia extarent, ac facta fuissent. Fauet D. Thomas: Ponit, inquit, Prophecia beneficiorum exhibitionem in liberatione miraculosa, usque in diem hanc tria signa complentur.

Gratus semper tenet in mente beneficia concessa.

D. Thom.



CAPVT IV.

Saturantur quatuor millia.

Marci 8. n. 1. In diebus illis iterum cum turba multa esset, nec haberent, quod manducarent, conuocatis Discipulis, ait illis.

VERSIONES.

Theophylact. In diebus illis, cum turba admodum multa esset, nec haberent, quod manducarent, accersitis ad se Iesus Discipulis suis, ait illis.

Arius. Omnino multa turba existente, Nec esset quidquam, quod ederent. Græcus. Cum aduocasset Discipulos suos.

ALTER TEXTVS.

Matth. 15. Iesus autem conuocatis Discipulis suis dixit.

EXPOSITIO I.

POSTQVAM Dominus quam plures mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos sanauerat, de quo maxime admiratæ fuerunt turbæ, vt scribit D. Mattheus cap. 15. num. 31. & immediatè narrat hoc magnum miraculum, in quo Dominus saturauit quatuor millia hominum præter mulieres, & paruulos; quod vt notat D. Chryostomus homil. 8. in Marcum, distinctum est ab illo alio de quinque panibus Matth. 14. Ioan. 6. num. 1. vt consideranti ex multis circumstantiis patebit.

Matth. 15. Miraculum hoc distinctum ab illo Ioan. 6.

Chryost. Matth. 14. Ioan. 6.

In diebus illis, hoc est, non eodem die, quo Dominus venit ad mare Galilææ, de quo Euangelista egit supra cap. 7. num. 31. sed trium dierum spatio interposito, vt patet ex versu sequenti, & Matth. 15. num. 30. In quibus diebus Dominus multos sanauit. Iterum respicit Euangelista superius miraculum de quinque panibus cap. 6. n. 34.

Matth. 15.

Cap. IV. Saturantur quatuor millia. 57

Vatablus.

vt denoret, hoc esse ab illo distinctum miraculum. Cum turba multa esset. Vatablus. Cum turba admodum multa. Facit hoc Euangelista, vt miraculi amplitudinem consideremus. Ne haberent, quod manducarent. Quod secum asportauerant, tribus diebus consumptum erat. Conuocatis Discipulis. Priusquam aliquid agat, negocium vult cum suis Discipulis conferre, verbis vltro, citroque prolatis vt ad miraculum ipsos faciat attentiores.

Apostolis accepisset, Intrauit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum. Act. 3. num. 8. cur cum bases eius consolidatæ sunt, non statim in domum suam vadit, vt ille alius sanatus paralyticus Luc. 5. num. 25. Vel cur non cucurrit ad parentes; cognatos, & amicos, vt suam felicem recuperatam valetudinem illis aperiat, & manifestet? Vel cur non statim ipse primò volat ad templum gratias acturus Deo; sed cum illis intrat? Chryostomus homil. 8. in Acta. Et qui sanatus est, deinde cum Apostolis erat; & ingressus est cum illis, ambulans in templo. Vide quomodo non solus erat. Cum homo vidisset tantam potestatem, virtutem, beneficentiam in Apostolis, non solus erat, sed cum illis intrat, eos sequitur, eorum comitatu vult adherere.

Act. 3.

Luc. 5.

Chryost. Ex nostro bono mouemur ad alterum sequendum.

6.

1. Reg. 18. Si dona dantur, amicitia factus inuenitur.

QUESTIO I.

Quare tanta turba Christum sequebatur?

3. Seleucus.

RATIONES, quas dedi in miraculo de quinque panibus tom. 3. cap. 33. num. 16. hic omnes possunt adaptari. Turba, ait D. Basilii Seleucus Orat. 33. sequebatur morborum depulsores, nam, vt ait D. Matth. 15. num. 30. & accesserunt ad eum turba multa habentes secum multos, cecos, claudos, debiles, & alios multos; & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita vt turba admirarentur. Cum ergo Dominus salutem, ac sanitatem, totque beneficia in turbas conferret, inde omnes maxime mouebantur, vt eum sequerentur. Plurimum enim beneficentia animos allicit, ac attrahit, vt alteri adhaereas, ab eo que non recedas: ipsa enim valde pulchrum, ac elegantem suum reddit largitorem.

Matt. 15.

Suo libro, ac commodo homines maxime trahitur.

4. Cantic. 5.

Magno amore vulneratà de domo sua exiit sponsa, multaque sedulitate Dilectum suum quaerit: Quæsiui, & non inueni. Cantic. 5. num. 6. maximeque eius elegantiam, ac pulchritudinem apud filias Ierusalem celebrat: Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. num. 10. Et iterum num. 16. Totus desiderabilis. Eius corporis partes, vt valde speciosas decantat. Caput aureum; coma eius sicut elate palmarum. De manibus. Manus illius tornatiles aureæ, plene hyacinthis. num. 14. Cur anima sancta modò tam vehementissimè suum perscrutatur Dilectum, eiusque speciosam formam decantat? Manus eius tornatiles, dicit, seu vt habet Hebræus, rotunditates. Tigurina, Manus eius orbis aurei, propter promptitudinem, ac facilitatem ad largiendum, plene hyacinthis, id est donis, beneficiis, ac miraculis. Iustus Origelitanus ibi. Tornatiles plene hyacinthis. Quia, scilicet Christi manus, assidue se versabant, & volebant ad varia, & omnigena opera misericordiae: nunc enim suscitabant mortuos, nunc illuminabant cecos, nunc multiplicabant panes, nunc aquam mutabant in vinum, nunc Eucharistiam dabant. Ecce cur modò tam raro, ac miro affectu, vt forte similis non inueniatur, inter custodes à quibus vulneratur, suam Dilectum inquirat. Ecce cur modò tam eximie eius decorem decantat. Manus eius tornatiles, plene hyacinthis. Cum tam beneficium donis, & miraculis recogitet, supra modum ardentissimo nixu ipsam, ipsam quaerit, ac scrutatur, ipsamque vult sequi, ipsique adherere. Dilectus, in quo tanta donorum largitas, prodibat; ac apparebat, modò sponsæ valde suauis, ac pulcher visus; qui nunquam antea similiter tam decorus, ac modò, cum Manus eius plene hyacinthis, tanta munerum exhibitione se se diffundens.

Hebræus. Tigurina.

Origelitanus.

Beneficentia impellit, vt alterum vehementer sequatur.

5.

Mendicus ille, claudus ab vtero matris suæ, qui ad portam templi sedebat, cum sanitatem ab

QUESTIO II.

Quare Christus D. Apostolos vocat in consilium.

NON statim Christus D. ad miraculum procedit, sed Apostolos suos vocat, veluti cum illis rem pertractans. Ad quid hoc? Respondet primò D. Chryostomus homil. 54. in Matth. Cur miraculum non facis? Ve, inquit, verbis de hac re vltro, citroque daris attentiores fiant Discipuli, & fidem suam ostendentes, peterent panes produci. Adeo tarda est humana conditio ad percipienda Dei beneficia, vt necesse sit, modos quaerere, vt illa videat, & consideret. Vocat Discipulos suos, vt attentiores fiant ad percipiendum miraculum. Deinde per pondera Dei benignitatem, vt & fidem suam ostendentes peterent panes produci. Maxime vult Deus nostris orationibus exorari, quò nobis offerat occasiones, vt ab eo dona sua petamus, quibus ditatis saturemur.

7.

Chryost.

Vult Deus, vt enim pro donis exortemur.

8.

Hieron.

Principes, ac Magistri accipiunt consilium ab inferioribus.

Genes 40. Exod. 18.

Anthiochus, Solus Deus consilio non eget.

Secundò D. Hieronymus. Conuocat Discipulos suos, & quod facturus est, loquitur. Vt magistris exemplum tribuat, cum minoribus, atque discipulis communicanda esse consilia. Dat exemplum Dominus, vt principes, ac magistri non dedignentur colloqui cum inferioribus, ac discipulis, & capere cum eis rerum agendarum consilium, cum ipse de turbæ saturatione cum Discipulis rem pertractet. Tanto documento ne pudeant magni à minoribus suscipere consilia. Sic Pharaò à Ioseph accepit, Gen. 40. num. 37. Et Moyses à Iethro sobro suo Exod. 18. num. 24. Quicumque enim à prudenti debet consilium sumere, & non contemnere. D. Antiochus homil. 83. In quocumque, ait, negotio non mediocri opera feceris pretium, remque Deo magnopere acceptam, si consilium expectes. Nemo enim inuenitur, qui non indigus sit consiliariis, nisi Deus solus, penes quem est omnis sapientia; nam omnis homo indigus est proba consultationis, vt pro halitu, quem ore efflat, ac spirat, vt nos diuina scriptura erudiunt. Omnia fac cum consilio; qui talis est, nunquam aberrat à scopo. Consilium



Consilium enim à quocumque congregare, & expe-  
tere, planè argumentum est hominum, qui superbiam  
oderunt, & de se modeste sentiant.

9. Paschasius. Terrid. D. Paschasius lib. 7. in Matth. Benignus  
Dominus, inquit, conuocat Discipulos suos, cum  
quibus inuit consilium de refectione plebis, ut in  
nullo essent in seij, que facturus erat; ut ex confabu-  
latione commendaretur facti ratio; & concordie  
societas. Obiter expende illud, ut ex confabu-  
latione commendaretur facti ratio. Præclarum hic  
inculcatur documentum. Commendatur res, quæ  
præuio sit consilio. Deinde diuinus Magister rem  
cum suis Discipulis, utpote suis familiaribus,  
pertractat, illisque ea, quæ facturus erat, tanquam  
amicis innuit; hoc enim amicitia, ac familiari-  
tatis ius exigit, ut quæ à nobis sunt, cum  
amicis communicemus, eosque nostrarum actio-  
num participes faciamus. Carthusianus in cap. 15.  
Matth. Conuocat Discipulos, ait, cum quibus  
tanquam familiaribus, & amicis secreta sua pan-  
debat. Præcipue, quia, ut inquit Abulensis in  
cap. 15. Matth. quæst. 102. cibis populo ministran-  
dus erat per Apostolos de panibus, quos ipsi  
habebant, & idèd necesse erat, quod Christus, &  
Apostoli colloquerentur de his, & sic oportebat.

10. Genes. 20. Cùm sublata esset Sara in domum Abimelech,  
apparuit huic Dominus per somnium, dicens:  
Redde viro suo uxorem, quia Propheta est: &  
orabit pro te, & viues: si autem nolueris reddere,  
scito, quod morte morieris tu, & omnia, quæ tua  
sunt. Genes. 20. num. 7. Quo oraculo percepto,  
subdit textus num. 8. Statim de nocte consurgens  
Abimelech vocauit omnes seruos suos, & locutus est  
vniuersa verba hæc in auribus eorum. Ad quid sa-  
piens rex seruos vocat? Dei præceptum instat:  
Redde viro suo uxorem. Mortis comminatio immi-  
net: Si nolueris reddere, morte morieris. Ad quid  
moralis, sapiens tex; in conuocandis seruis?  
Cur statim eam à domo tua non expellis, Abra-  
hæque viro suo non restituis? Serui, quos con-  
gregat, domestici sui, ac familiares erant, ut est  
communis interpretum vox. Cardinalis Hugo.  
Vocauit eos, ait, ut ab eis acciperet consilium, nihil  
enim sine consilio faciendum. Licet diuinum vrgeret  
mandatum, districtèque esset intimata mortis  
sententia, tamen ita sibi præcepta adimplere  
voluit, ut & amicitia simul obseruaret iura,  
domesticos suos conuocans, illisque sibi iniuncta,  
ac faciendâ aperiens, cum illisque tractans, &  
consulens modam, ac dispositionem, quomodo  
esset Sara viro suo restituenda, illique largienda  
munera, præcipue cum per ipsos seruos, &  
domesticos res eadem esset in executione agenda,  
ut norant Lyranus, & Abulensis.

Hugo. Cùm Petrus totius Ecclesie regimen teneret,  
vellètque, ut pro Iuda alius eligeretur Apostolus,  
In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum.  
Viri fratres; oportet impleri scripturam, quam  
prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda::  
Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt, testem  
resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et  
stauerunt duos. Act. 1. num. 15. Optime sciebat  
D. Petrus, ut ait in præfato loco Cornelius à  
Lapide: non tantum fidelium, sed & Apostolo-  
rum, sibi, quasi præfidi, ac Primati, curam à  
Christo commissam, cum ab eo audiuit: Et tu  
aliquando conuersus confirma fratres tuos. Luc. 22.  
num. 32. Cur ergo Petrus suo eminentissimo  
munere non fungitur, ac per se solum viros  
eligit; sed hoc Apostolorum cœtui committit,

11. Act. 1. Mutandus consiliarius, qui bonum suffragium non profert.

12. Non ferax, sed qui intelligat, quædams est consiliarius.

13. Homo domini Dei præ oculis habens, eam non videt.

14. Mutandus consiliarius, qui bonum suffragium non profert.

15. Prudentia mali omittit re consultore, & aliu quæ-  
rere, esto non sit amicus.

eonimque iudicium expectat. D. Chryso-  
stomus homil. 3. in Acta. Illud considera, ait, quam Petrus  
agit omnia ex communi Discipulorum sententia, nihil  
authoritate sua, nihil cum imperio. O magna viri  
Apostolici sapientia! Sic primatum tenet, vt &  
Apostolis familiaritatem, ac debitum honorem  
deferat. Exurgit: Exurgens Petrus: vt princeps,  
statu, gradûque excellior, vt ait Oecumenius,  
Apostolis vnum eligendum ex scripturæ testimo-  
nio proponit: honorem etiam, & familiaritatem  
cum illis seruat, vt eos fratres dicat: Viri fratres.  
Totum faciendum ita illis aperit, & manifestat,  
cum illisque negotium tractat, vt nihil per se  
solum velit agere, sed omnia eorum iudicio, ac  
suffragio discernenda constituat, ac determinet.  
Agit omnia ex communi Discipulorum sententia,  
nihil sua autoritate, nihil suo imperio.

Chryso-

Oecumen.

Cuncta ex  
condiscipulo-  
rum suffra-  
gio faciendâ.

QVÆSTIO III.

Quare in presenti non vnum, ut in alio  
conuiuio, sed omnes Apostolos vocat  
Dominus in consilium?

IN celebri illo conuiuio, transacto Galilææ  
mari, de quinque panibus, quod non mul-  
to antea fuit elargitum, Philippus à Domino in  
consilium est vocatus. Dixit ad Philippum: Vnde  
ememus panes, vt manducet hi. Ioan. 6. num. 5.  
hic verò non cum Philippo, vel alio Apostolo res  
tractatur, sed omnium exoptatur sententia:  
Vocauitque Discipulos suos.

Respondeo primò, quod in alio conuiuio vo-  
catur Philippus ad consilium, quia forè de illo  
bono magnam habebat experientiam, tanquam in  
vicino natus, vt dixi tom. 3. cap. 33. quæst. 8.  
Hic verò cum omnibus res pertractatur, quia  
forè quoad illud desertum omnes æquali posse-  
bant notitia; & idèd æqualiter omnes fuere vo-  
candi. Secundò, Omnes hic aduocantur, & cum  
eis res pertractatur, vt de præterito panum mira-  
culo recordati ad diuinam pietatem confugerent  
ac vt inquit Chrysostomus homil. 54. in Matth.  
peterent panes produci, sed illi non intellexerunt,  
quamobrem ita locutus esset: vnde postea dixit ad  
eos. Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum  
cognoscitis, nec intelligitis? adhuc cœcaturum habetis  
cor vestrum? oculos habentes non videtis? & aures  
habentes non auditis? Marc. 8. num. 17. Apostoli  
adhuc summa virtute non erant expoliti; & tam  
hebes est humanum ingenium ad recognoscenda  
diuina dona, vt cùm illa habeat præ oculis, ea  
minimè videat, & consideret.

12. Ratio diffi-  
cultatis.  
Ioan. 6.

13.

Chryso-

Marc. 8.

Homo domini  
Dei præ oculis  
habens, eam  
non videt.

14. Mutandus  
consiliarius,  
qui bonum  
suffragium  
non profert.

valde dissimilia iura, nam ad amicum sat est sin-  
ceritas animi, ad consiliarium autem magna pru-  
dentia, ac experientia exoptatur.

15. i. Reg. 5.

Cùm Arca Domini esset captiua in terra Philis-  
thim, ipsique multis plagis vexarentur, Aggraua-  
ta est manus Domini super Achorios, & demolitus est  
eos, i. Regum 5. num. 6. Cùm ergo se vidissent in  
arcto positos semel, & iterum Mittentes congrega-  
uerunt omnes satrapas Philisthinorum ad se, & dixe-  
runt: Quid faciemus de Arca Dei Israel? ibidem  
num. 8. & 11. Cùm tamen vidissent Philisthim,  
quod suorum sapientum consilio, in executione  
adimpleto, plaga interfectionis magnæ nimis  
non cessaret, sed potius grauius grassaretur, Voca-  
uerunt Sacerdotes, & diuinos, dicentes: Quid facie-  
mus de Arca Domini? i. Regum 6. num. 2. Liceat  
coniecturari, quod hi Sacerdotes forte erant ex  
Israel, qui apud eos captiuitate detinebantur: hos  
Philisthim sibi in consiliarios adhibent. Crudele  
sane bellum, magnûque inter eos, ac Israëlitas  
inimicitia diffidium interiacebat. Quomodo in  
negocio propria vitæ hos sibi adhibent consilia-  
rios? Carthusianus: Vocant Sacerdotes, tanquam  
alys prudentiores. O præclarum virorum inge-  
nium! Vident, suorum amicorum, ac sapientum  
consilio finistrè sibi contingere, remque suam in  
deterius vergere: hos ergò omittunt, & alios,  
quamuis aliàs viderentur esse ex inimicis, quæ-  
runt, qui recta proferunt, & bene instruant, ac ve-  
ritatem indicent.

1. Reg. 6.

Carthuf.  
Prudentia  
mali omittit  
re consultore,  
& aliu qua-  
rere, esto non  
sit amicus.

16.

Genes. 41.

Videt Pharaon per somnium septem boues pin-  
gues, & septem tenues, qui priores deuorauerunt.  
Tunc expergefactus misit ad omnes coniectores Egy-  
pti cunctosque sapientes, & accersitis narrauit som-  
nium, nec erat, qui interpretaretur. Gen. 41. num. 8.  
Cùmque maximè anxietur Pharaon, Pincerna-  
rum magister narrauit, quomodo, cum ipse, &  
socius eius in carcerem detrusi viderent somnia,  
Erat ibi puer Hebraus, eiusdem ducis militum fam-  
ulus, cui narrauit somnia uidiuimus, quidquid  
postea rei probauit euentus. ibidem num. 12. Statim  
regis imperio educitur. Ioseph è carcere; explicat  
somnia, profert consilium de congregando tri-  
tico. Placuit Pharaoni, & cunctis ministris eius  
consilium. ibidem num. 37. Res valde mirabilis!  
Senes domestici, ac amici nesciunt capere, & in-  
telligere; & tamen, ô Rex, vnus pueri (erat  
enim triginta annorum) Hebræi ac famuli statim  
dictis credis, illisque fidem adhibes? Tam citò  
credere, videbitur hoc alicui insipientia? Scien-  
tia Ioseph iam dabatur experimentum in his, quæ  
Pincernarum magistro, ac socio exposuit. Ma-  
gnâ Regis prudentia! Domestici, senes, ac sa-  
pientes non valent intelligere, & apprehendere,  
aduocetur vnus puer extraneus, & famulus, qui  
cuncta possit penetrare, salubria dicere, & sana  
indicare. Præclare ait Tertullianus lib. de Corona  
militis. cap. 4. Hanc scilicet rationem; expostula,  
saluo traditionis respectu, quocumque traditore cen-  
setur, nec auctorem respicias, sed auctoritatem. Ac si  
dicat. Non consiliarius considerandus, sed con-  
siliium, non persona attendenda, sed sententia.

Non ferax, sed  
qui intelligat,  
quædams est  
consiliarius.

Tertull.

QVÆSTIO IV.

Quare Discipuli hic non sunt locuti pro tur-  
bis, sicut in alio panum conuiuio?

IN illo alio præclaro conuiuio, in quo Do-  
minus saturauit quinque millia hominum,

17.

narrant Euangelistæ, quod, cùm Dominus abiret  
in desertum locum, secuta sunt cum turba de ci-  
uitatibus exeuntes. Ait D. Matthæus 14. num. 15.  
Vespere autem facto accesserunt ad eum Discipuli eius  
dicentes: Desertus est locus; & hora iam præterit:  
dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas.  
Et Marcus 6. num. 35. Cùm iam hora multa fieret,  
accesserunt Discipuli eius dicentes: Desertus est locus  
hic, & iam hora præterit: dimitte illos, vt euntes  
in proximas villas, & vicos, emant sibi cibos. Cur  
ergo in hoc euentu pro comitatu vnus diei de  
manè vsque ad vesperam pro turbis curam habent  
Apostoli, pro illisque Dominum loquuntur, vt  
eas ad escas quærendas dimittat, non verò in hoc  
nostro casu per triduum turba cum Domino per-  
seuerante.

Matth. 14.

Marc. 6.

Ratio diffi-  
cultatis.

18.

Abulens.

Respondeo primò ex mente Abulens. in c. 15.  
Matth. quæst. 101. Quod Apostoli in prædicto  
conuiuio non petierunt, quod Dominus satura-  
ret turbas, sed quod permitteret, eas ire ad pro-  
xima loca ad quærendas escas. Turbæ enim exie-  
runt tunc de ciuitatibus Christum sequentes ab-  
sque aliquo cibi prouiso alimento. Et cùm Domi-  
nus, & diuinus Magister in deserta per longum  
extenderet sermonem vltra meridiem, sit ait  
Marcus: Hora enim iam præterit: tunc Discipuli  
dixerunt Domino, vt turbas dimitteret: At verò  
in presenti populus sequebatur Dominum per tri-  
duum, asportato sibi pane, & aliquo viatico, vt  
dicam versu sequenti, pro solitudine, & deserto;  
Discipuli forte nescierunt, quod illa iam erant  
consumpta, ac proinde pro turbis nihil rogauerunt  
Illarum tamen necessitatem optimè agnouit Do-  
minus, omnium prouisor, qui cunctorum penu-  
riam prospicit, ac proinde solus ille de illarum  
ope, ac leuamine agit.

Solus Domi-  
nus necessita-  
tes nostras  
agnoscit, &  
leuat.

19.

Chryso-

Secundò D. Chrysostomus homil. 8. in Mar-  
cum. Vide, ait, quæ sit differentia inter vnum diem,  
& tres: ibi ab Apostolis Dominus rogatus, vt pascat:  
hic Apostolos commouet Dominus, vt pascant. Hic  
quid dicit? si dimisero eos ieiunos in domum suam,  
deficient. Digni erant sollicitudine Domini, qui tribus  
diebus expectauerant Dominum. Multum ponde-  
randa differentia. In alio conuiuio pro turbis  
Apostolorum cœtus Dominum rogat, vt eas di-  
mittat ad comparandos cibos. Hic vero non Di-  
scipuli, sed Iesus earum suscipit patrocinium. Et  
omnibus tacentibus Iesus Discipulos conuocat,  
illisque ait: Misereor super turbam. Cur qui pro  
vnus diei expectatione tam sollicitè Dominum  
exorant; modò pro trium perseuerantia obmutef-  
cunt, & nec vnum verbum proferunt? Non ma-  
nauit hoc ab aliqua incuria, ac negligentia, sed  
ab eximia triduanæ expectationis virtute. Perse-  
uerans, ac longanimis turbarum fiducia, qua per  
totum triduum nullam sui curam habentes se to-  
tas Domino commiserunt, vnum solum Domi-  
num Iesum spectantes: hæc, inquam, tam præ-  
clara perseuerantia maius, quam quod à Discipu-  
lis exhiberetur, exoptabat patrocinium; solum  
Iesum aduocatum promerebatur. Et si vnus diei  
expectationi valeant Discipuli suffragari: tridua-  
na verò longanimitas multò dignior, quæ ipsius-  
met Dei sollicitudinem in se inclinet, & trahat.  
Digni erant sollicitudine Domini, qui tribus diebus  
expectauerant Dominum.

Longanimitas  
perseuerantia  
ipsorummet  
Deum sibi ha-  
bet patronum.

Tertiò D. Paschasius lib. 7. in Matth. Miror,  
quid sit, ait, quod Apostoli supra solliciti esse dicun-  
tur post ieiunium vnus diei de refectione plebis. Hic  
autem iam triduo perdurante populo cum Domino  
nit

20.

Paschasius